(4) *Quo plus igitur nos ipsos horremus, eò plus divinæ gratiæ tribuimus:* Dan. IX, 7. seqq.

(5) Judicat Deus *tam verbaliter quàm realiter; tum particulariter, tum universaliter, &c. L. de* Dei justitiâ.

USUS E VERSU VII.

(1) *Datur* peccatum originale *& connatum. L. de* pecc. orig.

(2) *Conceptio, formatio in utero concepti, formati in lucem eductio, magna aliàs Dei conditoris beneficia:* Psal. LXXI, 6. seqq. *Quæ ipsa tamen haut obstant, quò minùs peccato infecti generemur à parentibus peccaminosis:* Joh. III, 6. Ephes. II, 3. Job. XV, 14.

(3) *Quò quis de peccatis dolet veriùs, eò magis accusat semetipsum, inque primam simul descendit originem, peccati nempe primi paradisiaci pestilitatem:* Rom. V, 12. seq.

USUS E VERSU VIII.

(1) *Deus sicut essentialiter est* ipsa veritas, *ita nil visi* veritatem *amat, adeò, ut quæ foris & intus sunt egregiè concordent invicem; quâ ratione &* novus homo κατὰ θεὸν conditus est in justitiâ καὶ ὁσιότητι τῆς ἀληθείας & sanctitate veritatis: Ephes. IV, 24.

(2) Vult *itaque Deus non honestatem fortè externam, insuper habitâ cordis qualitate, verùm* delectatur *interiori cordis emundati sinceritate. Horsum ergò vertendum omne studium ac votum.*

(3) Sapientia *mundi vana:* 1. Cor. I, 20. *à Deo igitur* Sapientia *petenda, & quidem circa mysteria cœlestia, v. g. circa liberationem à peccatis, circa adoptionis novæ gratiam, circa politevma cœleste, &c.*

(4) Docemur *à Deo per ipsius Spiritum, in cordibus clamantem, &c.* Rom. VIII, 14. 26. *docemur ex evangelio de verâ justitiâ coram Deo valente:* Rom. I, 16.

USUS E VERSU IX.

(1) Expiamur à peccatis *non ullâ virtute vel satisfactione propriâ, sed* hyssopo, *adspersionem sanguinis Christi designante:* 1. Joh. I, 8. Ephes. V, 26. Actor. XV, 9.

(2) Mundamur *adeò à peccatis per fidem, ut* fiamus δικαιοσύνη θεοῦ, justitia Dei in Christo; 2. Corinth. V, 21. 1. Corinth. I, 30. *Atque hoc est,* præ nive dealbari; Apoc. VII, 14.

USUS E VERSU X.

(1) Gaudium verum *solidumque concedit piis Dominus, postquam peccati mœrorem persenserunt satis* Rom. V, 1. 2. Cor. VII, 9. seqq.

(2) *Nil magis exhilarat corda, quàm sensus novæ gratiæ, peccata condonantis, inque Christo nos paternè amplectentis:* Jes. LXI, 10. Ps. CIII, 1. seqq.

(3) Ossa exultant, *quando sanitatem per Christi sanguinem recuperarunt. Sic fermè Davidis subsultarunt ossa atque pedes, dum arcam Domini deduceret:* 2. Sam. VI, 16.

(4) Concutiuntur ossa *per legem, quando omnis homini adimitur solidit as, cum terror absumit medullam, &c. Atque hæc omnino ante gaudium spirituale necesse est antecedere:* 1. Sam. II, 6.

(5) *Stulti igitur sunt, qui conscientiæ vulneratæ mederi volunt deliciis carnalibus, compotationibus, deambulationibus, lusibus, &c. tali regi Davidi hautquaquam defuisent; verùm à Deo petit gaudium.*

USUS E VERSU XI.

(1) Omniscium Dei vultum *nil prorsùs fugit:* A occultat *tamen ipsum, quando instar non offensi blande nos intuetur in Filiô suô unigenitô:* Ephes. I, 6.

(2) De Deletione peccatorum omnium (*non tantum crassiorum, relictâ nobis satisfactione pro venialibus,*) *vide suprà* v. 3.

(3) *Repetitur petitio eadem, non ex diffidentia, sed ad exprimendum ardens veniæ desiderium, nec non ægrotantis animæ periculum.*

USUS E VERSU XII.

(1) Cor mundum *est, non quod liberum planè ab omnibus pravæ concupiscentiæ motibus,* (*hoc enim nec Paulo contigit* Rom. VII, 20. seqq.) *sed quod post impetratam in Christo gratiam serio detestatur omnem ἀνομίαν, ac sine omni hypocrisi studet sanctitati corporis ac mentis:* 2. Corinth. VII, 1.

(2) *Tale cor non acquirit ex studio ethices, sed* creandum est à Deô ipsô, *non per novæ substantiæ productionem, sed divinam immutationem.*

(3) *David hactenus* carnalis *factus, nunc demum* spiritualis *fieri rursùs desiderat, adeo ut innoventur in se omnia: Conf.* 1. Thess. V, 23.

B USUS E VERSU XIII.

(1) Projiciuntur à facie Dei, *quibus spes omnis veniæ jam præclusa. Contra hoc suspirandum jugiter, imo & cavendum sedulo, ne nos abjicientes Dei disciplinam, à Deo projiciamur rursùs:* 1. Reg. XIV, 9.

(2) Auffertur Spiritus S. *quando per peccata voluntaria contristatur priùs;* Ephes. IV, 30. Jes. LXIII, 10.

(3) *Amitti igitur omninô potest Spiritus S. semel collatus.* vid. notas. *item L. de* amissibilitate Gratiæ, *vel de* persever. Sanctorum.

USUS E VERSU XIV.

(1) Gaudium salutis *vincit omne gaudium, vide supra* v. 10.

(2) *Hoc per peccata amissum, per resipiscentiam recuperari potest.*

(3) *Spiritus piorum non est servitutis, sed adoptionis:* Rom. VIII, 15. *adeoque* spontè, *absque coactione ulla,*

C *agunt, quæ se decet:* Ps. CX, 3.

(4) Sustentamur, *contra hallucinationes debilitatesque adhuc adhærentes, omnium securissimè à Spiritu filiali:* Rom. VIII, 26. συναντιλαμβάνεται τοῖς ἀσθενείαις ἡμῶν.

USUS E VERSU XV.

(1) *Etiam Regum atque Principum est,* docere vias Domini, *non quod Leviticum occupare debeant munus, aut confusionem subintroducere, sed quod pro data occasione, vel oretenus, vel scripto, (ut h. l.) admonitiones, suis tum ministris, tum liberis, distribuant, edictis publicis tum pietatem tum honestatem pro viribus promoveant, adeoque honorem Dei ubivis unicè intendant.*

(2) *Cujusvis Christiani est, errantem fratrem ad Deum salutaribus reducere monitis:* Jac. V, 19. *de quo officio alii prolixè.*

(3) *Utut frustrà videamur hunc & illum compellasse, Deo tamen committens causam, pieq; pergens, operam se non lusisse deprehendet.*

USUS E VERSU XVI.

(1) Peccatum grande *vocatur* sangvinolentum *quia atrocem meretur pœnam, &c. Cavendum igitur tam ab his, quàm etiam, ut videri poterant, minoribus,*